



- ◆ Trabajo realizado por la Biblioteca Digital de la Universidad CEU-San Pablo
- ◆ Me comprometo a utilizar esta copia privada sin finalidad lucrativa, para fines de investigación y docencia, de acuerdo con el art. 37 de la M.T.R.L.P.I. (Modificación del Texto Refundido de la Ley de Propiedad Intelectual del 7 julio del 2006)

IUS ROMANUM: FUNDAMENTUM IURIS HODIERNI ET LATINITATIS NOVAE INCITAMENTUM

Iobannes Emmanuel Blanch Nougués

Sancti Pauli - CEU Uniuersitas
(HISPANIA)

Orationis adumbratio:

I. De relatione inter 'iusromanistas' et philologos. Mea intentio. De Iuris Romani fontium studio et linguae latinae instrumento. Cicero, iurista?

II. Duo iuris consultorum exempla: una ex parte, eorum qui, normas solas aspiciunt et altera ex parte, humaniores, qui iurisprudentiam una cum elegantioribus litteris colunt. Nunc temporis hae duae positiones inueniuntur. Necessae est ambas concordere efficere. Linguam latinam, ad cotidianum iuris usum cogitatum, paulatim amittimus: neue iudices, neue aduocati uerba, dicta aut aphorismos iuridicos latine pronuntiare audent. Se prae litteris fatuos appellatos esse timent nonnulli, non sine causa.

III. Aphorismi iuris: Quid sint. Quid utile in iis insit.

IV. Traditionem iuris Europae continentalis sine lingua latina adhibita nemo scire potest. Lingua anglica ad subtilitates iuris nostrae traditionis capiendas partim inhabilis est. Globalizatio patrimonii iuridici europaei simplificatione siue 'uulgarizatione' institutionem ciuilem nostram minatur. Africae Australis exemplum: inter duas traditiones, Anglicam et Europaeam Continentalem, bellum iuridicum. Linguae latinae inscientia iuris fontes primos bibere prohibet.

V. Qua ratione Ius Romanum etiam nunc uigeat. Ius Romanum eiusque traditionem tamquam normarum compaginem fingere falsum est. Idem autem tamquam iuris doctrinam considerari oportet. Solutiones, responsiones, notiones principiaque iuris plurima, olim expressa, hodie

uigorem seruant. Etenim, pleraeque iudicum sententiae aduocatorum consultationesque hodie prolatae itemque iuris codices et leges uigentes doctrinaiuris romani et iuris communis, haud raro causidicis inscientibus, profuse utuntur.

VI. Quid hispani alumni, Iuris Facultatem ingredientes, de Roma sentiant. Mea responsio.

VII. Incitamenta iuris ad linguam latinam fouendam.

Clarissime Domine Praeses Academiae Latinitati Fouendae,
Illustrissimi Domini Dominaeque Academiae Sodales,
Domini Dominaeque maxime honorabiles.

Imprimis Academiae, et speciatim clarissimo domino Bruno Luiselli eius nomine, secundum, Illustrissimo Domino Antonio Capellán, in eo gratias ex animo dare uolo, quod a uobis perhumaniter ad uerba facienda in hoc Conuentu inuitatus sum. Mihi magno honori, quamquam immerito, est, filologiae latinae specialistis me audientibus, maxima auctoritate praeditis et scientiae uerae nitore ornatis dicendi facultatem, mihi benigne concessam, adhibere et uobis de argumento proposito omnia quae sentio effudere posse. Uobis confiteor me in hoc ipso momento animorum motus aliquantum contrarios sentire. Una ex parte, laetor quod sub aspectu iuridico cultoribus aliarum disciplinarum de iure romano, commune europeo et hodierno itemque de incitamentis ad usum –nunc temporis– linguae latinae eloquendi commoditas pretiosa est mihi. Utinam uobis argumenta a me breui tractata aliqui momenti sint! Altera ex parte, hac re sollicitor quod me coram uobis nulla pactione in lingua latina gloriantem exhibere uelim. Necesse est mihi ab initio meae orationis uestram scientiam superiorem quam meam esse concedere. Post hanc confessionem, tranquillior maneo. Contractam eloquentiam ergo in oratione bene composita magis exhibere quam, nimis meis uiribus confisus, continenter sine remissione falli mallo. Alioquin, me irridentes ista recte dicere possitis: Sus docet Mineruam! aut ista: Ne sutor supra crepidam! Mea intentio, illustri Audientes, autem modesta est, nempe me in grege uestro tantummodo sic enumerari, ut ad linguam latinam fouendam, diffundendam uulgandamque pro copia etiam ego aliquid conferre ualeam.

I.- Dicere non possum mihi linguam latinam et latinitatem alienas res esse. Meam professionem contra cottidiane exercens, id est, iuris romani cultum, iis obuiam prodeco. Attamen, ut dico, sub aspectu philologiae cultoris uoluptarii (scilicet 'dilettante') gloriam tantum appetere ualeo.

Sic (tamquam philologiae amator) se definiebat unus ex sapientissimis cultoribus iuris romani qui in saeculo uicesimo uixit, professor Maximilianus (Max) Kaser, germanus, satis modestiae ostendens. Kaser postulabat ut iusromanistae et filologi simul concinnateque laborarent.¹

Re uera etiam ego opinor, sic esse debere, quod iusromanista fontes diuersos non indagat. Falsum est quod aliis temporibus iuris consulti, id est, Mediae Aetatis Glossatores et qui post eos commentarios iuris faciebant (inde apellati Comentaristae), de hac re generice sentiebant: nempe Corpus Iuris Ciuilis romani iuris et praesertim sui temporis unum fontem fuisse. Sic loquebantur: 'graeca non leguntur' (celebrum eorum dictum) aut: 'erubescimus sine lege loquentes'. Commoditas istae doctrinae eo fuit quod nemo postea umquam circa Corpus Iuris Ciuilis, difficillimae interpretationis fontem, eundem scientiae gradum assecutus est.

Hodie autem quisque fons, quamuis iuridicus stricto sensu non sit, ab uestigatoribus iuris romani examinandus est ; quin etiam, distinctio ipsa inter iuridicos et extra iuridicos fontes haud religiose seruanda est. Hoc in sensu, Ciceronis exemplum mirum est. Ille, orator, causarum patronus ac nonnumquam accusator maxima celebritate ornatus fuit. Aequales sui et se ipse autem non tamquam iuris consultum propterea considerauerunt, quod, uiua in mente iuris consultorum erat differentia inter ius et factum: iuris prudens ius examinat, id est, casibus (scilicet, inter partes –Aulum Agerium et Numerium Negidium– intentionum conflictis) solutionem certam dat. Id significat 'ius': cuique casui optima solutio per disputationem inter iuris expertos assecuta. Aduocatus, peioratiue 'causidicus' dictus, autem apud iudicem factum, id est casus circumstantias, pro cliente suo probare debet. Id affirmabat Aquilius Gallus, notus iuris prudens saeculi primi a. C. n., cum ab eo cliens quiuis quid de facto aliquo quaerebat: De hoc nihil ad me, ad Ciceronem! Veteres iuris consulti bene sciebant autem aliam notionem ab altera haud stricte disiungendam fuisse, ut antiquum dictum, 'ex facto oritur ius', palam monstraret, ex noto loco Corporis Iuris Ciuilis depromptum, quod nobis nunc temporis sic enucleatum est, nempe ius legemque semper post factum, id est, post sociales cuiusque temporis res quae sunt, proficisci. Etenim vita legislatorem ad nouas leges parandas impellit. Cicero ergo ius accurate cognoscebam, quamuis nobis hodie ad verum iuris romani statum sciendum artificia rethoris ardoremque eius limare opus est.

Fontes sic dicti 'iuridici' re uera maiorem iuris continentiam seruant, quamobrem interpretationis labor decursu historiae ad iuris consultos tantum destinatus est. Non facile est eos indagare sine iuris scientia.

¹ *Ein Jahrhundert Interpolationenforschung an den Römischen Rechtsquellen, Anz. Osterr. Akad. D. Wiss. Phil. Hist. Kl., 1979 (= Römische Rechtsquellen und angewandte Juristenmethode, Wien-Köln-Graz, 1986, 129).*

Itaque, tamquam iuris prudentium saltus conclusus, Corpus Iuris fere ab his unis cultum est.

II.- Fontium quaestio uero difficilior ampliorque est quod generaliter per saecula usque ad nostrum tempus duae positiones iuris consultorum ad ius quod attinet reperiuntur: una ex parte, qui 'legalistae' siue 'posituistae', ut ita dicamus, nominari possint, nempe qui se normis adeo illigant ut nihil amplius aspicere siue considerare uelint. Fontes examinant ueluti ac lapicidinas ex quibus normas praeceptaque iuris extrahunt ad problemata soluenda. Haec operandi methodus, 'mos Italicus' sic appellata, Bononiae (urbs italica celeberrima) undecimo saeculo ex iurisconsultis ibi laborantibus, Glossatoribus et inde ab saeculo decimo quarto Post-Glossatoribus, rectius, 'Commentaristis', exorta est. Tantum aliqua nomina excelsa enumerabo: Irnerius, Franciscus Accursius, Azo inter primos et Cynus Pistoriensis, Bartolus de Sassoferato et Baldus inter secundos. Omnes iurisconsulti europeenses, anglicos exceptos, hanc methodum tandem adepti sunt. Saeculo decimo tertio p. C. n. rex castellanus Alphonsus Decimus, cuius cognomen fuit 'Sapiens', Toleti haebreis, arabis christianisque doctoribus coactis, una simulque concinnate laborantibus, refulgentia opera conatus est et perfecit. Ex quibus unum, iuridicae naturae, apparatu glossae magni momenti postea instructum, praestitit, uidelicet 'Septem Iuris Diuisiones' (hispanice "Las Siete Partidas") cuius posteriorem gratiam Europa nec non America sentierunt.

Altera ex parte, humaniorum iurisconsulti ('humanistae' ut ita dicamus) orti sunt qui ad Corpus Iuris aliosque plurimos locos grassati sunt hoc animo imbuti quasi monumenta olim splendida inuisendi atque in pristinum statum qualescumque fontes antiquos, siue graecos siue latinos, restituendi. Praesertim inde a saeculo decimo sexto, sociales condiciones auspicientes (scilicet 'humanismus'), nouam methodum iuris docendi dicendique tuita est Europa, maxime Francogallia ex qua in fere omnes nationes europaeas fluxit. Modus supra dictus 'mos Gallicus' dicitur et inter maximos repraesentantes extant: Galli: Iacobus Cuiacius, Hugo Donellus, Franciscus Hotomanus, Antonius Faber; Andreas Alciatus, magister omnium, Italus; Hispani: Antonius Augustinus, Didacus de Covarrubias, Antonius Perez; Uldalrichus Zasius, Germanus; Arnaldus Vinnius, Gerardus Noodt, Iohannes Voet, batavii siue nederlandici, qui sibi 'Elegantis Iurisprudentiae' nomen tribuerunt. Cum illis, scil. Legalistis, cuius methodus plus ad praxin quam ad theoriam spectaret, acerrime pugnauerunt, et eos sic impudenter apellauerunt: plebei, rixantes de lana caprina, pestes ingeniorum, carnifices studiosorum, praestigitatores, non bene de mente constituti, ad aratrum nati, blaterones,...

Exempli gratia, Cuiacius, haec dicebat in proemio suarum Consultationum:

«Ad haec invenies, lectissime Adolecens, non eam me in scribendo rationem sequi, qua plerique omnes consulti, abhinc iam fere abiere centum anni, caperunt more pravo, praeavaro, litigandi potius quam iustitiae tradere vias, ut Eubulus ait, «οἰκείων ἀνέμων ταμίαι, ἀξύνετ' ἀξυνέτοισι γράφοντες, καὶ νόμου ἔλκοντες», sed quam in suis responsis Papinianum, Iulianum, Scaevolam, et alios veteres Iurisconsultos videmus insistere, ad eam me contendisse, et aliquanto propius accessisse, certe a consuetudine illorum longe abhorruisse, longe silvis illis maxime frigidis et opacis, ne dicam captiosis, et falsis allegationum, et nullius momenti auctoritatum, quas et diligentius quaesitas ex eis omnes plerasque vix usquam quisquam reperire possis, quibus tamen nudis, et nullis illorum consilia refertissima sunt, ac praecipue ne sorderent mea, illorum dictis vulgaribus, vel ut loquuntur Brocardicis, quae sibi ut essent suae prudentiae, quam iuris scientiae venditant nomine falso, fundamenta fabrefecerunt, me reperis cavisse summopere.»²

Apud alium suum opus de illorum interpretatione circa locum quemdam Digesti Iustiniani hanc sententiam, facete expromptam, inuenimus: «Vim huius responsi (scil. Papiniani, notissimi iuris consulti romani finis saeculi secundi p. C. n.) et potestatem non bene percipiunt interpretes. Inani sermone imprudentia utuntur. Sunt verbosi, et prolixi, more suo, ut solent in re futili esse multi; in difficili muti; in angustia diffusi» (ad legem *'filio'* ex titulo Digestorum *'de iniust. rupt.'*).³

Attamen uideamus quae Ianus Vincentius Grauina, italus, iurisprudentiae historicus magni momenti, qui uixit saeculo septimo et decimo, libro primo *'Originum iuris ciuilis'* qui inscribitur *'De ortu et progressu iuris'* (ad Clementem XI Pontificem Maximum) perpense dicebat:

«Nec minus tamen eruditioribus interpretibus indignor: qui cum a Bartolo, scholaque illius multa didicerint; ubi tamen aliquod eius peccatum animaduertunt, desistere nesciunt a conuiciis: inter quod praeter Budaeum, Duarenum, aliosque plures, Goueanus praecipue non erubescit Bartolum pessimum iuris interpretem appellare, ...»⁴ Paulo inferius ita pergebat Grauina: «Quales, praeter ceteros, sunt Laurentius Valla et Ludouicus Viues,⁵ qui barbariem quidem Bartoli omnium expositam oculis animaduernerunt; doctrinae uero illius, neque recessus intropicere, neque pondus expendere uoluerunt: ignari prorsus quanta Bartolus cum suis commoda iurisprudentiae attulerint, tot solutis

² Iacobii Cuiacii Iurisconsulti *Opera quae de iure fecit et edi uoluit*. Geneuae. Apud Philippum Albert et Alex Pernet, MDCIX, p. 342. (Ex libris Universitatis Sancti Pauli-CEU).

³ Iacobii Cuiacii *Opera, In libro V Responsorum Papiniani*, Tomus Quartus, Lugduni, Sumptibus Ioannis Pillehotte, MDCVI, p. 922. (Ex libris Universitatis Sancti Pauli-CEU).

⁴ Iani Vincenti Grauinae *Originum iuris ciuilis et de Romano Imperio Libri Tres*, Tomus I, Neapoli. Ex Tipographia Felicis Mosca, MDCCXIII, p. 159. (Ex libris USP-CEU).

⁵ Italus et hispanus notissimi.

quaestionibus quotidie in foro emergentibus: quibus dirimendis ueterum scripta minime sufficerent, nisi ea Bartolus et Bartolini iurisconsulti ratiocinando similiaque colligendo ad quotidianum usum et etiam ad non expressa produxissent ita ut reddiderint quodammodo amissa iam exclusaque e Corpore iuris ueterum responsa consultorum. Qua opera et iudices difficultatibus liberarunt, et reos a iudicum fraudibus eripuerunt...». ⁶

In fine cogitationis suae de hac re ista affirmabat : «Quamobrem neque Bartolum cum suis omni errore absoluerim, ut uulgi pragmaticorum solet ; neque maximi ingenii, summique beneficii laudem eis detraxerim; neque imitabor eruditos illos, qui cum ipsi raro meliora praestent, aliorum benefacta ob quodlibet peccatum obliuiscuntur». ⁷

Egomet, fortasse sine tanta indignatione, Grauiinae assentior, qui nobis etiamnunc mediam uiam quasi aristotelicam monstrat, quae uia ad iurisprudentiam recte colendam extractam esse uidetur.

III.- Maxime mirandum est quod uterque ratio, Glossatorum et Humaniorum, etiamnunc vigeat. Qui inter iuris studiosos hodie historiam spernant et quasi caducum aestimant linguae latinae usum ultra praxin et pecuniam parum uident. Quam saepe huiusmodi iurisconsultorum agendi rationis testes sumus! Id obliuiscimur linguam latinam speciatim ad ius exprimendum aptam esse. Per saecula a romanorum temporibus ius latine conscriptum est. Innumerae cogitationes iuris, theoriae, principia, solutionesque in linguam latinam paene sine exceptione uersa sunt. Hodie autem ne dicta iuris quidem audiuntur. Aphorismi iudicantur superuacui uel molesti et qui eos publice pronuntiant fatui. Nonnulli aduocati, territi, ea de causa eos allegare desinunt quia prius causam clientium curare debent quam iudicis reprobatione affici audere. Quos aphorimos dictaque uaria, e. g. in actis diurnis, erroribus refertis, non raro autem inuenimus. In recentioribus temporibus propter conflictum aliquod inter Hispaniam et Marochium de insula paruula quadam, scopulum esse potius dixerim, prope oras africanas sed sub hispana dictione, illud generale dictum 'statu quo' diuersis odiosis modis redditum saepe audiuius: 'status –sic- quo', 'statu quo' et ceteris modis.

Haud falsi sumus aphorismos, dicta regulasque iuris scientiae iuris fundamenta reapse non esse. Numquam fuerunt finem agendi rationis iuris consultorum. Tantum enuntiata sunt, nequaquam panaceae, quae concise enarrant iuris experientias ueluti luminis aurigae per tortuosum iuris iter agentes. Sic iuris regulam definiebat Paulus, iuris consultus saeculi tertii p. C. n., cuius sententia inuenitur in notissimo ultimo titulo

⁶ Ibid., p. 160.

⁷ Ibid., p. 160.

Digestorum siue Digesti Iustiniani qui inscribitur 'De diuersis regulis iuris antiqui':

Paulus libro sexto decimo ad Plautium. Regula est, quae rem quae est breuiter enarrat. non ex regula ius sumatur, sed ex iure quod est regula fiat. per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, et, ut ait Sabinus, quasi causae coniectio est, quae simul cum in aliquo uitata est, perdit officium suum.

(Ex hoc titulo incipitur traditio brocardica Medii Aeuui, quae autem humanioribus iurisconsultis displicebat maxime, rectius, eorum stomachum mouebant).

IV.- Quid de globalizatione quae dicitur? Dua fundamentalia systemata iuris in mundo hodierno uigent: Anglicum-saxonicum et Europaeum continentale. Anglicum in eo quod ad praxin spectat excellit; Europaeum firmiorem theoriam exhibet exempli gratia ad delicti siue ad obligationes contractusque theoriam quod attinet. Europa, cuius ultimas leges ualidas in Imperio romano, Codicem Theodosianum saeculo quinto p. C. n., scilicet, reperiuntur, unificationem iuridicam saeculo quinto p. C. n. extinctam, usque ad nostrum tempus nondum restauratam, ualde desiderat. Et pretiosam traditionem iuris, ueluti inaestimabilem gazam, possidet. Lingua communis europaea, maxime ad ius applicata, latina usque ad saeculum undeuicesimum adhibita est. Nulla alia lingua ad subtilitates Europae continentalis iuris capiendas, ad recte iuris notiones uarietatesque uocum exprimendas, nulla alia auctoritate praestantior quam latina est. Anglica lingua, quamuis pulchra, culta ductilisque, partim inhabilis est ad ius europaeum comprehendendum. Fulcrum fundamentale Europae ius priuatum esse (id est ciuile romanum canonicumque, nempe Ius Commune Europaeum), ut Paulus Koschaker palam affirmabat (libro suo 'Europa et ius romanum'), nemo est qui dubitare possit. Mirifice euenit ut angli et americani Ciuitatum Americae Unitarum nonnullas partes nostrae traditionis historice acceperunt et nunc temporis, nobis inscientibus, eas assumimus quoniam commercium siue com meatum globale nobis ut id faciamus imperat. Par res est linguae: 'obsolete' (obsoletum), quamuis latinae radices habens, hispanicum uocabulum non est. Omnes autem idcirco «obsoleto» dicimus quod id apud anglicos scriptores legimus. Ad ius quod spectat, bonae fidei principium a romanis repertum est. Id hodie tamquam inuentionem modernam esse plurimis auctoribus uel cultis uidetur.

Africa Australis, ut Zimmerman⁸ nuper enarrauit, inter traditiones belli iuridici de hac re exemplum ostendet. Ius ibi uigens, nempe quod bataui (boers) eo attulerunt, Commune Europaeum est. Iudices qui hoc ius

⁸ Zimmermann, *Der europäische Charakter des englischen Rechts*, Zeitschrift für Europäisches Privatrecht, 1993, 4-51.

reddent iuris europaei eruditione carent quibus lingua traditioque iuris anglica est. Abhinc aliquos annos iudicis quaedam sententia opinionem Didaci de Couarrubias, hispani iuris consulti saeculi decimi sexti (supra dicti), ad ius reddendum mirifice adhibebat. Attamen, ueluti insula in mari nata, exquisitum casum agi uidetur. Traditio europaea paulatim 'uulgarizanda', ut ita dicamus, est. Iurisconsulti Europaei facere non posse uidentur quin ius istud, simplicatum uel rusticum, profiteri debeant. Quamobrem, ut opinor, sicut antiquae Orientales Beryti et Constantinopolis Uniuersitates inde ab saeculo quarto exortis, delapsa iam occidentali parte Imperii Romani, ita Uniuersitates europeenses nunc temporis sub aspectu scientifico iuris traditionem ad ueram Europaei conscientiam firmandam neglegere non deberent.

Counitio iuris difficile, non impossibile scopum est. Re uera iuris systema anglum saxonicum europaeo continentali non tam dissimile apparet. Illius systemata iuris consulti ius tractant per casus ('casuistice' ut ita dicamus) idem atque antiqui romani ("habemus, ut aiunt, plus romani quam romanisti"). Ius uero quo utuntur non tantum ab iuris consultis sed potius ab iudicibus inuentum est. Adeo res ita se habet ut in pari casu posterior iudicis sententia a praecedenti tenetur ('stare decisis' nota regula.). Differentia illa inter Common Law (cuius nomen alterum 'iuris communis' euocat, quamquam eo immiscere non licet) et Equity (id est, Aequitas) iuris romani distinctionis illae inter ius ciuile et honorarium memor est. Aequitatis doctrinam iuris canonici professores qui in Britanniam ad ius docendum profecti sunt, ibi explicauerunt.

V.- Ius romanum etiam nunc mirandum est et cupidae legum iuuentuti pernecessarium. Oportet autem id tamquam iuris doctrinam ac ueluti patulam inter se saepe pugnantium sententiarum siue opinionum fascem potius considerare quam quasi ordinem iuris. Digestum Iustiniani tamquam iurisconsultorum Biblia decursu historiae uisum est. Eius uis et auctoritas non ex imperio, quamuis ita uisum est a Sacro Imperio Romano Germanico, sed ex ratione constat. Viuit, ut aiunt, non 'propter imperii rationem' sed 'propter rationis imperium'. Iurisconsulti romani iuris opera, libere confecta, conscribebant, ubi opiniones de diuersis casibus dabant. Discussionibus exortis et reiectis infirmioribus sententiis, sola ratione agente, unam opinionem uicebat quae doctrinam pacificam reddebat. Iuris consulti per responsiones suas auctoritatem (id est, scientiam ab omnibus agnitam), quae ab imperii notione –imperium est potestas ab omnibus agnita– maxime deiungenda est, adipiscebantur et inter suos celebritatem assequabantur, sicut hodie quidam athletae optimi, actores actricisque Cinematographi Acrifoliensi aut musici hodierni carminis. Eorum solutiones plurimis casibus cogitatas hodie ueluti fixas in Codicibus, maxime ciuilibus, legibus, aduocatorum consultationibus

inuenimus. Mirum est quod, si ius hodiernum mutetur, tamen opinionem diuersam, olim iam expressam, complectitur. Quamobrem historice Europa continentalis id accepit, non quoad imperium romanum adhuc uigeret, sed quia ius suum iuris consultis aequitatis rationem ad usum modernum iuris praestabat et praestat. Res ad ius quod attinet, illae philosophiae graecae, quatenus ad eam hodierna philosophia refertur, similis est: graeci sumus... et romani!

Heineccius, illustris iuris professor germanus saeculi duodeuicesimi, cuius opera in Uniuersitatibus hispanicis nota sunt, apud Praefationem eius operis 'Historiae iuris ciuiliis romani et germanici', haec lepide referebat: « ...hanc feci cogitationum mearum summam, nihil illis (scil. alumnis) fore utilius, nihilque fructuosius, quam si iis iuris tum Romani, tum Germanici, origines ac progressum paullo adcuratius enarrarem, ex ipsaque historia ostenderem, quis utriusque illius iuris in foro usus sit et quantum decipiantur ac decipiant, tum qui, ut ius romanum in exilium agant, germanicum nescio quod, in tribunalibus unice regnare contendunt, tum qui, recepto in subsidium illo iure, tantam rerum conuersionem factam esse existimant, ut moribus patriis foro, ac ueluti aqua et igni interdictum sit... ».⁹

VI.- Falsa phantasmata autem fugare de alumnorum mente, Facultatem ingredientium, laborem non exiguum est, quamuis plerique eorum, etenim, duodeuicesimo anno expleto, linguam latinam in scholis uix didicerunt, et, quod grauius fero, Romam ueluti ac tyrannicam potentiam et extinctam tantum aspiciunt. Eos haec interrogare soleo: Areuacos, llergetes Vaccaeos populos qui ante Romae aduentus in Hispania uiuebant, ab romanis reuera debellati sunt. Numantiam exemplum exitium strenuae defensionis contra Romae oppugnationem fuisse nemo est qui dubitare possit. Estne tu Areuacus? Rogo te quid de Sagunto sentias, exemplum praeclarum de fide erga romanos; et quid de Columella, Lucano, Seneca, Martiale, scriptoribus insigniis in Hispania natis sed cultum ciuilem latinum quam maxime participantibus; quid de optimis imperatoribus Traiano uel Adriano? Hispani erant. Cur Romam non inuiderunt? Quamnam linguam loqueris? Credisne te linguam quam nunc tamquam propriam adhibes sine linguae latinae scientia funditus scire posse? Credisne fortasse sine iuris romani auxilio aliquid de iure hodierno recte, id est, memoriam absurde non adhibens, intellegere?

VII.- Quid tandem de iuris incitamentis uiuae latinitatis dicere possumus? Quaenam sunt ea quae ad finem supra dictum nobis utilia uisa sunt

⁹ J. O. Gottlieb Heineccii *Historia iuris ciuiliis romani ac germanici*, Neapoli, Apud Jo. Baptistam Pasquali, MDCCLXIV, p. 6 (ex libris Uniuersitatis Sancti Pauli-CEU).

Intentio prima, iam diis adiuuantibus expleta, est haec:

- a. ‘Ángel Ayala’ Humaniorum Artium Institutum omnibus nostrae Uniuersitatis auditoribus linguam latinam tamquam studiorum liberae conformationis disciplinam (asignatura de libre configuración) praebere. Tertium iam annum supra dictum Institutum alumnis nostrae Uniuersitatis hanc possibilitatem praestat (non solum in humaniores artes incumbentibus sed omnibus qui per unum siue per duos annos linguam cultumque ciuilem latinum audire et discere velint). Iuris alumni, et praesertim –quod me maxime iuuat– ex illis optimi, linguam latinam quotannis deligunt, quod est, ut opinor, huius linguae signum auctoritatis hodie haud imminutae arctique iuris ligaminis.
- b. Uniuersitarios circulos ad iuris fontes indagandas instituere altera nobis intentio est. Ad huiusmodi inceptum conandum nobis philologorum auxilio indigebimus. Tantos iuris libros doctrinaque eorum tanta ex obliuiscione uindicare magni momenti labor est quem iuris consulti una cum philologis efficere possunt.
- c. Tertium incitamentum est hoc: Sermonem latinum in Uniuersitate propter Circuli Latini Matritensis laborem adhibere. Aliquos iam annos, in iuris Facultatis Aedibus quoque ultimo ueneris die mense coetus Circuli Latini Matritensis, cuius Praeses Illustrissimus Dominus Antonius Augustinus est, qui insuper insignis legatus hispanus fuit, habiti sunt. Inter sodales etiam ego, quamuis modestus, enumeror. Quibuscumque linguam latinam latinitatemque colere uelint circulum aperire intentio nostra est.
- d. Thesim quamque iuridicam ad gradum doctoris conferendum confectam perpenso proemio circa iuris quaestionem per historiae decursum tractatam instrui oportet. Ecce quartum incitamentum uiuae latinitatis. Agendi ratio huius lineamenti in eo posita est quod historia iuris in textuum historia consistit, qui loci magna ex parte ad romanos iuris consultos, iuris communi auctoresque necnon humaniores iuris prudentes pertinent. Ex omnibus hisce fontibus et aliis diuersis, linguam latinam indutis, iuris disciplinarum origines certae inueniuntur ; id est, iis uestigandis non tantum iuris ciuilibus hodierni principia reperies sed etiam commercialis, poenalis uel etiam fiscalis uel rei publicae statum (administrationis) spectantis iuris (quod iam pridie magister meus, Illustrissimus Dominus Antonius Fernandez de Buján, cathedrarius Autonomae Uniuerstiatis Matritensis, enixe monstrauit).

Doctorando, feliciter iam doctori, alumno meo, cui nomen Aemilius Eiranova est, hoc anno magni momenti praemium ab insigniis Commentariis

periodicis qui inscribuntur 'La ley' (Lex), concessum est. Quaestio ab eo disputata circa creditum refactionarium fuit, iuris institutionem hodie uigentem sed ab Marco Aurelio imperatore exeuntem. Iudices praemii iuris argumenti historicam methodum, ab eo adhibitam, magni aestimauerunt.

Finem orationis meae iam imponamus. Spero tandem ut uobis quae enarraui aliqui momenti esse uisa sint. Attente summa cum humanitate meam orationem audiistis, quamobrem, uobis ex animo gratias plurimas ago.

Dixi.